

**A** Medtæ præfecturam pollicitus est. Verùm nullum ea præmia mouerunt. Cõmissio certamine multi ex hostibus occubuerunt, reliquos Sardanapalus usque ad castra in montibus sita persequitur. Qui cum Arbace erant, aduersis prælijs pauentes, initio quid uictis agendum esset consultant: maior pars in patriam cuique redeundum, ibi præoccupanda munita loca, alios in societatem belli uocandos, necessaria ad bellum paranda esse censebat. Belesus Babylonius asserens deos multis cum laboribus periculisque uictoriam polliceri, persuasit ut in bello perseverarent. Commissa igitur rursus pugna, rex superior fuit; castrisque hostium potitus, usque ad montes Babylonios insecutus est. In eo certamine Arbaces uiriliter pugnans, multis prostratis Assyrijs uulnus accepit. Tot aduersis prælijs, eorum qui descuerant icti duces, cum domum abire decreuissent, Belesus sub dio pernoctans, ex astrorum obseruatione recedere uolentibus prædixit, paucos post dies ultro illis auxilia aduertura, resque eorum in melius cessuras esse. Hæc castris significare deos. Suadere igitur se, ut suæ arti fidentes, parum per deorum beneficia expectarent. Huic exhortationi parentibus ducibus, promissumque expectantibus tempus, nunciatum est. Bacri anorum exercitum ad regem mitti, propinquumque esse, magnis itineribus proficiscentem. Visum est igitur Arbaci, reliquisque, cum expeditis militibus obuiam proficisci, ut aut defectionem persuaderent Bacrianis, aut ad id armis cogerent. Primum duces, tum reliqui libertatem asserentes, copijs cæterorum sese addiderunt. Hæc Sardanapalus ignorans, memor superioris fortunæ, ad hilaritatem profusus, epulum militibus ex sacris, uinumque abunde præbuit, aliaque epulo accommodata. His intentis Assyrijs, Arbaces qui per transfugas hostium in castris negligentiam, ut qui uino ciboque grauati, somno quietique indulgebant, norat, noctu castra hostium expugnauit, acie instructi incompósitos, parati imparatos adorti, multis interfectis reliquos in urbem compulserunt. Sardanapalus cum exercitui ducem præfecisset Salamenum uxoris fratrem, urbis curam custodiendæ sumpsit. Hostes in locis patentibus iuxta urbem duobus prælijs copias regias fundunt: interfectoque Salameno, reliquos persequentes, partim in fuga cædunt, partim in flumen Euphratem præcipites agunt: paucis qui cædi superauerant, in urbem compulsi. Ad eod genus numerus occisorum fuit, ut fluuius redundante hominum sanguine colorem mutarit. Obsesso in urbe rege, multæ nationes, qualibet libertatem asserens, ad Arbacem defecerunt. Rex magno in discrimine regnum uersari uidens, filios tres, duasque filias cum magna auri argentique copia in Paphlagoniam ad Cottum prælidem misit, ducum omnium sibi acceptissimum: tum per epistolas reliquorum qui non defecerant, auxilia accersit, ad ferendam obsidionem paratus. Erat enim responsum progenitoribus datum, nunquam Ninam capi posse, nisi cum fluuius urbi hostis fieret. Quod nunquam futurum ratus, spem ceperat obsidionis traducendæ, & simul futura auxilia expectabat. Hostes urbem, quam propter moenium altitudinem expugnare nequibant, obsedere. Nondum enim catapultæ, neque uinearum, neque arietis quo muri urbium deiciuntur, usus erat. Iis qui in ciuitate erant, omnes ad uictum res & obsidionem tolerandam necessaria, regis cura ad id antea impensa supererant. Cum duobus annis obsidio perseverasset, per summum ocium obsessorum, tertio continuis imbribus excrefcens supra modum fluuius, cum partem urbis inundasset, muros deiicit ad stadia uiginti. Hic rex existimans tempus oraculi aduenisse, desperata salute, ne in hostium potestatem perueniret, pyram in regia ingentem extruxit: superque eam auro argentoque omni, ueste in super regia impolitis, uxoribus quoque atque eunuchis in medio pyræ reclusis, se cremandum una cum his in ignem iniicit. Hostes audita regis morte, urbem per eam quæ ab oraculo prædicta erat muri parte ingressi, Arbacem regia stola indutum, regem appellarunt, omnium sibi rerum potestate permissa. Sumpro imperio